Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

venerunt dicentes se et visionem angelorum
vidisse qui dicunt eum vivere. Et abi-
erunt quidam ex nostris ad monumentum
et ita invenerunt sicut mulieres dix-
erunt. Ipsum vero non invenerunt. Et ipse
dixit ad eos. O stulti et tardi corde
ad credendum in omnibus que locuti
sunt prophete. Nonne hec oportuit pati
christum et ita intrare in gloriam suam. Et in-
cipiens a moyse et omnibus prophetis
interpretabatur illis in omnibus scripturis
que de ipso erant. Et appropinquaverunt
castello quo ibant. et ipse se finxit
longius ire. Et coegerunt illum dicentes.
Mane nobiscum quoniam advesperascit et
inclinata est iam dies. Et intravit
cum illis. Et factum est dum recumberet
cum illis accepit panem et benedixit.
ac fregit. et porrigebat illis. Et aperti
sunt oculi eorum et cognoverunt eum. Et
ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt
ad invicem. Nonne cor nostrum ardens
erat in nobis dum loqueretur in via. et a-
periret nobis scripturas. Et surgentes
eadem hora regressi sunt in ierusalem.
et invenerunt congregatos undecim et eos qui
cum ipsis erant dicentes. quod surrexit
dominus vere et apparuit symoni. Et ipsi nar-
rabant que gesta erant in via. et quomodo
cognoverunt eum in fractione panis.
Dum hec autem loquuntur. ihesus stetit in medio
eorum et dixit eis. Pax vobis ego sum
nolite timere. Conturbati vero et conterriti
existimabant se spiritum videre. Et dixit
eis. Quid turbati estis et cogitationes
ascendunt in corda vestra. Videte manus
meas et pedes. quia ipse ego sum. Pal-
pate et videte. quia spiritus carnem et ossa
non habet sicut me videtis habere. Et cum hoc
dixisset. ostendit eis manus et pedes. Ad-
huc autem illis non credentibus et mirantibus
pre gaudio dixit. Habetis hic aliquid quod
manducetur. At illi obtulerunt ei partem
piscis assi. et favum mellis. Et cum man-
ducasset coram eis. sumens reliquias de-
dit eis. Et dixit ad illos. Hec sunt verba
que locutus sum ad vos cum adhuc essem vo-
biscum. quoniam necesse est impleri omnia que scripta
sunt in lege moysi. et prophetis et psalmis
de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelli-
gerent scripturas. Et dixit eis. Quoniam sic
scriptum est. et sic oportebat christum pati. et
resurgere a mortuis die tertia. et predicari
in nomine eius penitentiam et remissionem pec-
catorum in omnes gentes. incipientibus a ie-
rosolima. Vos autem estis testes horum. Et ego
mittam promissum patris mei in vos.
Vos autem sedete in civitate. quoadusque in-
duamini virtute ex alto. Eduxit autem eos
foras in bethaniam. et elevatis ma-
nibus suis benedixit eis. Et factum est dum
benediceret illis. recessit ab eis et ferebatur
in celum. Et ipsi adorantes regressi sunt
in ierusalem. cum gaudio magno. et erant
semper in templo laudantes et benedicen-
tes deum. Explicit lucas. Incipit prologus in iohannem.

Hic est iohannes evangelista
unus ex discipulis dei
qui virgo electus
a deo est. quem de nup-
tiis volentem nube-
re vocavit deus. Cui virginitatis in hoc
duplex testimonium in evangelio datur. quod et
pre ceteris dilectus a deo dicitur. et huic ma-
trem suam pendens in cruce commenda-
vit deus. ut virginem virgo servaret.
Denique manifestans in evangelio quod erat ipse

Explicit lucas. Incipit prologus
in iohannem